

tenus approbamus, que tamen in diuersis ecclesiis secundum terre consuetudinem non sustinentur. § [2] De penitentia uero illorum, quorum paruuli infra VII. annum in igne uel aqua precipites moriuntur, certum uobis dare responsum nullatenus potuimus, cum talia secundum qualitates casuum et personarum etiam sint pensanda. § [3] Cum autem regem inungi debere contigerit, tu, frater archiepiscopo, in eius unctione pallio poteris uti. Abbates siquidem talibus indumentis in solempniis missarum utantur, qualibus^{a)} et alii sacerdotes, nisi illis ab ecclesia Romana speciale aliquid sit indultum. § [4] Ad hec ipsi et sacerdotes in his indumentis sepulture^{b)} tradantur, in quibus missarum solempnia soliti sunt celebrare. § [5] Ceterum si illius peccatum, quod cum moniali carnalem habuit commixtionem, secretum fuerit, ad dignitatem propter hoc post peractam penitentiam non prohibetur assumi nec etiam ante penitentiam est aliquatenus prohibendus siue cogendus, verumtamen, ut dignitatem non suscipiat, est diligenter commonendus. Abb[acie] uero administratio, licet hoc publice deliquerit, si infra claustrum religiosorum uita eius et conuersatio comprobetur, ei minime denegatur. § [6] Episcopum^{c)} autem illum, qui concubinam suam in domo sua publice tenet et etiam est sponte confessus, si scandalum est inde subortum, tu, frater archiepiscopo, cum consilio discretorum et religiosorum uirorum et maxime coepiscoporum tuorum auctoritate beati Petri et nostra sententia depositionis condempnes et alium idoneum et honestum loco^{d)} illius non differas ordinare. Illum etiam episcopum, qui inutilis est et onus uult pontificale dimittere, inde absoluere poteris et in ecclesia quam regebat alium subrogare. Dat. XV kal. ianuarii.

9.

Brit. Mus. Cott. Ditellius E XIII fol. 268 d.

Beneuent (1169) De3. 18.

Alexander III. Trundensi^{e)} archiepiscopo, apostolice sedis legato, et eius suffraganeis.

Uigili cura et sollicitudine nos prouidere oportet, ne ordi-

^{a)} qualibet.

^{b)} sepultura.

^{c)} Ep̃m.

^{d)} fol. 265 b.

^{e)} Granden.